



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quomodo regnum cœlorum possit acquiri, 16

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

posita est in potestate facientis : quoniam regnum cœlorum vim patitur.

2. Regnum cœlorum, ô homo, aliud non quarit precium, nisi teipsum : tantum valet, quantum es. Te da, & habebis illud. Quid turbaris de precio ? Christus semetipsum tradidit, ut acquireret te regnum Deo Patri. Ita tu teipsum da, ut sis regnum ejus, ac non regnet peccatum in tuo mortali corpore, sed spiritus in acquisitione vitæ.

C A P V T X V I I.

Quid sit, & quid habeat Paradisus.

1. **O** Anima mea, revertamur ad civitatem cœlestem ; in qua scripti sumus, & cives decreti. Sicut enim cives Sanctorum, & domestici Dei, & sicut hæredes Dei, cohæredes autem Christi, consideremus inclytam nostræ urbis fœlicitatem, in quantum considerare possibile est. Dicamus ergo cum Propheta : O quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei : sicut latantium omnium habitatio est in te. Fundaris enim exultatione universæ terræ : Non est in te senectus, nec senectutis miseria : Non est in te mancus, nec claudus, neque gibbosus, neque deformatus ; dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis pulchritudinis Christi.

2. Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas ? Nemo læditur, nemo irascitur, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit. Nullum cibi desiderium. Nulla honoris aut potestatis pullat